



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs**

**Dript, Laurentius a**

**Paderbornae, 1672**

Praefatio, Lectori salutem ab eo qui est vera salus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13441**

P R A E F A T I O. 8

Lectori salutem ab eo qui  
est vera falus.

**M**iraberis benevole Lector faciem,  
miraberis inscriptionē libelli: quae  
inquies ista temeritas immaculatum à Deo  
in fumigantis Simaij montis vertice Moysi  
traditum Decalogum re-vel potius defor-  
mare velle, & materiam à tot Clarissimis  
Viris Prospero Fagnano, Mercoro,  
Sinnichio, aliisq; pro & contra eleganter  
discussam iterato quasi sub incudem revo-  
care? sed mirari desine, sisto tibi non An-  
tidecalogum nudè, sed talem idq; reforma-  
tum, à quo insuper tanquam à potiori fron-  
tispicium mutuaui: materiam probabili-  
tatis vix quidem attingo, hoc unicè de-  
monstrans in primis principiis legis natu-  
ralis, quaeq; ex illis per facilem & necessa-  
riam consequentiam deducuntur, senten-  
tiae probabili locum nec esse, nec esse posse:  
lucubratiunculam vero hanc suasu singu-  
laris cujusdam amici quodammodò ada-

A

ctus



Etus suscepi, idq; boni publici amore: ea enim à medio fere seculo fuit luxuriantium ingeniorum, estq; adhuc libido, ut satis illis non fuerit voluntaria divina & humana jurã novis suis non fundatis ad inventionibus sub specioso probabilitatis titulo convellere: si non & moralia Decalogi, quæ legis naturalis & æternæ indubitata sunt participatio, ausu temerario aggrediretur, & cœlestis illius Psalterij decachordi suavissimam harmoniam fœdis suis sanctioni divina & naturali repugnantibus sententiis turbassent, fuissentq; infiducias ad devia per se nimis quam volubilibus.

Plerasque opiniones Decalogi laxatas ordine ipsis præceptis à Deo & natura præstituto, ex aliis authoribus cum earundem & SS. Patrum rationibus insertas hic reperies, censuratas cum censura, nondum censuratas, nisi eas ipsa ratio horreat, nec censurare intendo. Nihil hic ut ingenue fa-



nuè fatear novi est, cum nihil sub sole novum: egi tamen, ut plerique Neoterici mecum, sed fidum furem, hoc praestando, ut exhibeam tibi in compendio & parvulo manuali, quod etiam spatiando teras, quae sparsim & fuse disiecta non sine fastidioso labore congesseris, licet nonnulla maxime in politicis deprompserim ex curta mea supellectile, quae nullibi putem repereris. Tropos, schemata & eloquentiam oratoriam non est quod à me desideres, veritatis simplex est sermo non fucatus, phrases otiosas relinquo, nec te phaleratis delectari judicari cum docente S. Aug. de. Doct. Christ. c. II. bonorum ingeniorum insignis sit indoles, in verbis verum amare non verba.

Procedam verò per omnia modestè non solum non lesis novarum & saepe censurarum sententiarum cursoribus, sed nec nominatis quidem, licet ad manum essent, memor illius



Licuit semperq; licebit  
 Parcere personis dicere de vitijs.

Generalis de vitijs disputatio *inquit* ex S. Hiero. Klockius de Contrib. c. i. n. 396. nullius personæ continet injuriam, neque carbone notat quemquam quasi malus sit, sed omnes admonet, ne mali sint: unde Rittershufius in Analect. fol. 561. ex Cicer. pro lege manilia ait: Ego neminem nomino, quare irasci mihi nemo potest, nisi qui ante de se ipso voluerit confiteri. *Subjungens quoque illud* D. Ambrosij Epist. 83. Ego neminem nominabo, conscientia sua unumquemque conveniat. *Et sub num. 102. ex D. Hieron.* Si quis dicta in genere ad se rapiat, atque in se dicta putet, eum quasi foricem suò indicio se prodere, & sibi malè conscium se hoc ipso indicare & Accusatorem sui esse.

*In Appendice nihilominus, ubi Rein-kingium sui que sequaces in Sedem Apostolicam & orthodoxos fatuè digrandinantes tango, purgentes quandoque pun- go, sed citra condignum, & mitius quam forsam decebat ago, rationibus potius quàm cavillis certandum ducens, quosdam ve-*



A D L E C T O R E M. 5

rô non tam scriptores juris publici, quam illorum politicas hereses cursim notavi, partim ut appareat, ad quæ absurda & ridicula, quæ tamen apud affeclas tanquam ex tripode enuntiata venditantur, hæc passionum mancipia rapti fuerint, partim idque à potiori, ut doctiores in hac materia meliusque versati ad isthæc ornatius elucubranda incitentur: dolendum namque est insulsis hisce molles adolescentum animos eousque intoxicari, ut ab universitatibus deviorum redeuntes tam vivâ voce, quam lectione similium authorum imbuti, ut plurimum non satis modestè, imò prout experimento didici, irreverenter etiam de Summo Pontifice & Hierarchiâ Ecclesiasticâ sentiant, idque non sine ingenti Reipublicæ Christianæ detrimento.

Et quamvis de cætero, ne ullus in persona lederetur, studiosissimè allaborarim, quia tamen plurimi, quorum doctrina ipsi illesis taxatur, jam de factò fuerint, futuriq;



turique sint libelli hujus contemptores,  
 inque idea refutatores, nondum luci datus  
 expertus est: quæ tamen conviciorum, &  
 minarum fulgura ex pelui, tantum abest  
 ut me à proposito diverterint, ut vel hinc  
 prensarim occasionem ad prælum festi-  
 nandi, avidus instrui & discutiendo ve-  
 ritatem magis magisque propalari: crimi-  
 nationibus verò scutum sincera intentio-  
 nis oppono: debacchentur adeoque scioli  
 convitentur, parum est: sufficit illis opel-  
 lam hanc gratam esse, qui non student no-  
 vitatibus, sed stant in antiquis patrum  
 viis, & inquirunt si sit via bona, ut ambu-  
 lent in ea: horum judicium nullo tamen si-  
 nistro affectu præoccupatum, tantum est ut  
 refugiam, ut etiam ultro expetam, para-  
 tissimus à quo vis ubi hesito quærere, ubi  
 erro discere. Quod verò strictiorem &  
 angustam Salvatore verbo & exemplo  
 duce suaserim, occasionem forte Phariseo-  
 rum, si non heredibus saltem æmulis da-  
 bit.



bit, in vitam moresque meos, an cum scriptis symbolisent, investigandi: quibus oppono stultitiæ proprium esse aliorum vitia cernere, suorum oblivisci, & in alterius oculo festucam, in suo nec trabem nec tabem videre: admitor tamen & admittar ultra celesti adjutus favore, verba moribus ut respondeant: nihilominus vice cotis fungar, acutum ferrum, reddere valens, exors ipsa secandi: interim ne quæso nos ipsos palpemus, nec pro probabili vel veniali, quod mortale est nobis venditari sinamus, ne coram extremo illo tribunali æterno & irreparabili damno nostro contrarium experiamur.

Nullus in lege divina & naturali temeritati locus est, ait Lactantius lib. 3. cap. 13. In æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Et Augustinus lib. de Catech. rudibus. Cum videaris, ait, multos non solum hoc facere,



sed etiam defendere, atque suadere: tene te ad Legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus: non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis.

*Totum hunc Antidecalogum Articulis duodecim absolvam, quorum quatuor erunt ad materiam præambuli.*

*Primus definitionem sententiæ probabilis cum Regulis probabilitatis ex P. Antonio Terrylo desumptas continebit.*

*In secundo quaeretur, an detur ignorantia invincibilis legis naturalis & primorum Principiorum illius.*

*In tertio, an detur vel possit dari ignorantia invincibilis Præceptorum Decalogi.*

*In quarto, an in materia morum potius sit standum sententiæ Sanctorum Patrum, an verò Doctorum Neotericorum, ac Scholasticorum: maxime quando materiam de quâ agitur, utriq; ex professo discussserunt. Reliqui octo exhibent singulas propositiones contra quodlibet præceptum adinventas, quarum syllabum sequentes pagina exhibebunt.*

Tu bone Lector vale & exiguâ hac opellâ mecum fiuere, justitiæ, veritati & æquitati fave.

AD